ORATIO
DE NECESSITATE ELOQUENTIÆ
PRÆSERTIM IN LIBERA REPUBLICA, CUM ANNUUM TEMPUS FORTUNATÆ ELECTIONIS

STANISLAI AUGUSTI
SERENISSIMI,
ET POTENTISSIMI,
AC SAPIENTISSIMI
REGIS POLONIÆ,
AC MAGNI DUCIS LITHVANIÆ.

RECURRERET.

ANNO 1765.

JN GYMNASIO VARSAVIENSI

SCHOLARUM PIARUM

HABITA.



VARSAVIÆ.
Typis S. R.M. & Reipublicæ, *Scholarum Piarum.*

Oratorem instituimus illum perfectum, qui esse nisi Vir bonus non potest; Neque enim hoc concesserim rationem rectæ honestæque vitæ, (ut quidam putaverunt) ad Philosophos relegandam: cum Vir ille vere Civilis, & publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius sit profectô quam Orator.

M. F. Quintilianus.

ORATIO.

Laetor vehementer impoſitum mihi eſſe munus cohortandi Adoleſcentes noſtros ad amorem ſapientiæ & Eloquentiæ, hoc feliciſſimo tempore, quod nobis omnibus recordationem jucundiſſimam reducit Electionis poſt hominum memoriam celeberrimæ, in qua omnium vota & animi conſpirarunt in REGEM POLONIÆ STANISLAUM AUGUSTUM, Principem Sapientem, omnibus Divinis, humanisque ſcientiis inſtructiſſimum, ac ſi quis unquam in Republica ea laude floruit

ruit, Eloquentiſſimum, tum verò Regiis artibus ac virtutibus ornatiſſimū, & amore Populorum beatiſſimum.

Diem itaque ſolemnem illum à Poſteris quoque noſtris ſuaviſſimè commemorandum repetimus Auditores, quo hic præſens noſter amor, Tito nobis, Trajanoque carior, deliciæ Populi, Pater Patriæ amantiſſimus, & ſi quid de Optimo Rege, verius, atque uberius à quoquam dici poteſt, electus in Regem, Populum divinitùs ſibi commiſſum in paterno primùm palatio, deinde in auguſto templo, denique in arce Regia, ſuperiore hominum ingeniis, nam certe divina quadam vi alloquebatur: Proinde nihil æquiùs eſſe ſtatuo, quam ut hoc ſolum vivum exemplum Sapientis Eloquentiæ Adoleſcentibus noſtris proponam imitandum.

Excitabat enim vota omnium, incendebat pectora amore Patriæ, commovebat animos, lachrymas etiam eliciebat hæc divina ut ita dicam Sapientia & Oratio STANISLAI AUGUSTI Regis Noſtri, neque quisquam ex tot liberrimæ Gentis Civibus ſimul congregatis erat, qui ab hac digna Regibus Majeſtate orisque gratia, plurima bona in Patriam noſtram derivanda non ſperaret.

Neque vero fefellit ſpes ita vaticinantem Senatum, ac Univerſum Equeſtrem Ordinem. Experiuntur namque hodie non ſine jucundiſſima voluptate quantum bonum ſit liberæ Genti habere Regem Sapientiâ Eloquentiæ conjuncta præſtantiſſimum.

Ego vero actis etiam atque etiam immortalibus gratiis

gratiis nomine totius Patriæ DEO Optimo, Maximoque, qui Reges creat, & in cujus manibus cor Regis eſt, pro Rege tali qualem optavimus, Sapientiſſimo ac Eloquentiſſimo, incongruè, imprudenterque agere me putarem, ſi aliud hoc loci, hocque die pro exhortanda ad ſtudia bonarum literarum juventute dicendi argumentum quærerem, quam quod è re ipſa naſcitur, ſcilicet quod è præclariſſimo Regis noſtri exemplo ſpontè & ultrò manare videtur.

Dicendum itaque mihi eſt de ſumma quadam ſub Rege Sapiente & Eloquente, neceſſitate nobiliſſimæ artis Eloquentiæ, ſi in quavis Republica libera, tum vel maximè in Noſtra Polona liberrima Gente. Hoc igitur argumentum ita me tractaturum promitto, ut niſi me omnia fallant, hanc artem ſapientis Eloquentiæ ſupra omnes alias cum omnibus liberis Civibus, tum inprimis Polonis neceſſariam eſſe, nobili Juventuti noſtræ facilè perſuadeam.

Spero Vobis Auditores probatum iri hunc dictionis meæ ſcopum, vt potè & à Polona libertate, & ab hoc aureo AUGUSTI Noſtri ſæculo, & à Veſtris ſtudiis minimè abhorrentem.

Omnium rerum pulcherrimarum atque utiliſſimarum Parens & conſervatrix eſt ſapiens Eloquentia Auditores. Omnibus ſæculis magna, multa, & ampliſſima illius fuerunt munera.

Primis certè illis temporibus, quibus fundatæ civitates, & conſtitutæ Reſpublicæ ſunt, quid ſine hac arte

fieri

fieri potuisset? Abducti ab agris, & sylvis homines, fera & barbara vita in nobilem & honestam commutata, mænibus septæ urbes, arces erectæ, leges conditæ; jura judiciaque statim descripta sunt. Hæc verò omnia quo fonte quæso manarunt in genus hominum? nullo certè aliò, quam illâ Sapientissimorum Virorum apta ad quidvis persuadendum, naturæque conformi Eloquentiâ.

Unde in caligine & rerum omnium perturbatione rudes illi civilem cultum, & jucundam lucem adspicere primùm cæperunt, firmas societates inire, sanctas amicitias colere, multa ac deinde etiam omnia ad communem usum excogitare, artes quoque paulatim invenire, inter se communicare, & amplificare non dubitarunt. Quas quamquam generi humano utilissimas nullâ profectò alia ratione invenissent, nisi concinnâ ad suadendum persuadendumque factâ, auribus demulcendis, devinciendisque mentibus accomodatâ usi fuissent oratione. Hujus quoque adminiculo res scitu dignæ à Majoribus nostris notitiâ comprehensæ non modo conservatæ sed claro, castoque sermone auctæ, exornatæ, atque excultæ ad nos Posteros feliciter pervenerunt.

Etenim cum ita per naturam constitutum sit, ut omnia certis dierum ac temporum intervallis orta, tum deinde ut mobilia, incerta, temporibus occidant, atque ab ipsa die rerum edace consummantur, nihil itaque DEUS Immortalis & Clementissimus propter humanum genus oratione melius præstabiliusque dedisse poterat, quæ una & sola cæteras artes, resque omnes

ad

ad posterorum memoriā traducendas à situ, squallore & oblivione vindicaret, incredibiles fructus pareret, maxima toti humanæ cognitioni, (quanta esse potest) adjumenta & subsidia compararet.

Hujus nobilissimæ artis vim ille duntaxat non percipit intelligendo, qui nunquam cogitat quæ & quanta sine hac hominum fuissent incommoda? Quæ vita aut potius quæ mors vitam miserrimam trahentibus fuisset, si quæ mente comprehendimus aptè, clarè, eleganterque eloqui non potuissemus? Est enimvero vita civilis transigenda mutuis officiis & constituenda quadam inter homines necessitudine. Et docendo, monendo, orando, suadendo, dissuadendo, accusando, defendendo agendum est in communi hominum societate. Jd quod præstare non posse, aut nescire, quid est quæso quod hominibus gravius & molestius evenire potuisse quisquam existimet?

Quis vero pietatis aut justitiæ fructus sine sapiente Eloquentia haberi unquam potuisset? si tristissimis amicorum rebus ac temporibus neque adesse queas, neque miseros ac prostratos sublevare, innocentes tueri, consolari, erigere, neque inimicis repugnare, improbos deterrere, motus, & levissima, atque incerta, vulgi studia exagitare, ulcisci scelera?

Verè atque ex animo si Vos adnuitis Auditores, ego adfirmabo: Nullius uberiora erga Rempublicam amoris testimonia, & erga alios officia observari quàm hominis sapienter eloquentis.

Sine

Sine hac quippe arte quid ageret civis liber in Patria ? Quid ſtatueret & decerneret æquus Judex? Quomodo loqueretur publicus aut privatus Legatus ?

Quæ porro ipſarummet Rerumpublicarum liberrimarum gloria? Quæ bonorum civium, quæ militum fortium ? Quæ imperatorum ſcientiſſimorum non minùs, quàm feliciſſimorum laus? quæ commendatio? quæ memoria eſſet, ſi Eloquentia defuiſſet? Quis enim Græcorum aut Romanorum heroum facta æternitati commendavit? Eloquentia. Quis Miltiadis, aut Themiſtoclis, trophæa ? Quis Pompeij civiles militaresq; virtutes, Auguſti triumphos, Fabij Magni matura conſilia, Catonis ſeveram gravitatem, Marci Coriolani erga Matrem & Patriam ſuam amorem, ſeu potius pietatem ad poſteros cum laude tranſmiſit? Eloquentia!

Neque Thebanorum antiquam nimis & fabulis uſque ſcatentem, neque Lacædemoniorum, Athenienſium, cæterasq; antiquiores & poſteriores Reſpublicas noſſemus, niſi ab eloquentiſſimis & ſapientiſſimis hominibus, eas quondam extitiſſe, & floruiſſe accepiſſemus.

Hæc, hæc ipſa rerum, atq; animorum humanorum rectrix ſapiens Eloquentia Mutios Scevolas, Brutos, Scipiones, Attilios Regulos, cæterosq; magnos in Republica Romana viros ad ingentia facta excitavit, & conſilia ab eis ſuſcepta confirmavit. Hæc pacta & fædera non modo inter cultiores, ſed inter barbaras quoquè gentes ſanxit. Hæc labentes & excuſſos plerumq; ab omni

omni ſpe militum animos in bello ad victoriam perſequendam & obtinendam erexit.

Jnteriiſſes jam proculdubio Domina gentium Roma, & cum turpi dedecore unà cum exercitu Tuo in acie jacuiſſes, niſi eloquentiſſimus Dux Ille tuus Tatius fugientes Romanos tuos vel confictâ miraculorum narratione, & Deorum reſponſis ad arma capeſſenda revocaſſet.

Actum jam fuiſſet de tua Republica! cum Populus contra Senatum offenſus ſupra modum, recedere ad hoſtes in animum induxiſſet, niſi Mænenius Agrippa homo ſapiens ac eloquentiſſimus jucunda oratione conjunctionem Populo cum Senatu perſuaſiſſet.

Tanti momenti fuerunt ſemper, & nunc quoquè eſſe debent Oratores in Republica libera, ut nemo ſit Civium, qui melius ſaluti ac felicitati publicæ quam illi conſulat.

Quamobrem calidiſſimus ille Græcæ libertatis oppreſſor Philippus pro concordia cum Athenienſibus ſtabilienda in ſignum mutuæ benevolentiæ Oratores ſibi tradi poſtulavit. Hâc ſiquidem arte facile exiſtimavit totâ deindè Republicâ ſe ſe potiturum, ſi hos à Republica amoviſſet, qui ſua contra Græciam univerſam conſilia proderent, exagitarent, populos verò liberos ad ſpem libertatis & fortunæ melioris excitarent.

Unde ille nihil tantum penſi habuit, quam ut Demoſthenem ſummum apud Athenienſes atq; in univerſa Græcia, & ſapientiſſimum Oratorem è vivis tolleret.

Quid præterea inveniri jam poterat quod Antonius ille Romanæ libertatis prædo intentatum reliquerit, ut Marcum Tullium eloquentiſſimum ac ſapientiſſimum in Romana Civitate Oratorem opprimeret? Qui hac ſola arte fretus non modo Antonii furores deſpexit, non modo Clodiorum libidinem & crudelitatem domuit, non modo nefaria Catilinæ contra Patriam inita conſilia diſſipavit, ſed majorem omnibûs triumphis lauream propter hanc ſolam artem ab ipſis hoſtibus adeptus fuiſſe agnoſcebatur.

Hac itaque arte nobiliſſima, ſapiente nimirum Eloquentia quicunque liberi Cives optimè imbuti ſunt, illi plurimum Reipublicæ ſuæ proſunt.

At cæteræ quoq; artes (dicet quiſpiam) ac vel ipſa vitæ magiſtra & præceptrix bene regnandi Philoſophia idem ſine Eloquentia in quovis Regno ac Civitate præſtare poſſent? Jd ego quidem Auditores neq; capere, neq; cuiquam concedere poſſum; mea enim opinione artes omnes diſciplinasque & ipſam Philoſophiam veluti ſtipites ſine vigore fore futuras, niſi eiſdem ſuccum quendam vitalem ſuggereret, infunderetquè oratio.

Omnis certè veritas in profundo quodam veluti puteo hæreret & latitaret demerſa, niſi eam in lucem educeret, niſi eam ad hominum intelligentiam vis quædam & energia dicendi explicaret.

Nam ſi Parentem, aut Principem Philoſophorum Ariſtotelem ſectatores illius haberi volunt, at ille ſive cum de natura, ſive cum de Republica philoſophatus eſt,

à ne-

à nemine unquam legeretur, nisi tanta dictionis gratiâ & copiâ excelluisset, ut eam Cicero aurô fluentem fluvium appellare non dubitârit.

Plato ideo divinus Philosophus quod omnes tam Philosophicæ quam Politicæ scientiæ partes, omniaq; virtutum & Rerumpublicarum gubernandarum præcepta cum tanta sermonis felicitate ac venustate pertractavit, ut ejusdem Tullii judiciô Juppiter ipse si Græcè loqui vellet, non alio nisi Platonis ore & sermone loqueretur. Xenophon ideo summus vir quod & Philosophus & Orator insignis esset. Theophrastus Philosophus, à divino ore idest ab uberrima suavissimaq; Eloquentia nomen obtinuit. Carneades summus Philosophus sed longe Orator celebrior; de quo accepimus, eum ita Eloquentiâ valuisse, ut nullam rem confirmandam susceperit, quam non probaverit, nullam impugnandam quā non everterit Pro mille tamen exemplis par illud Romano imperio caput M. T. Cicero sufficiat, non modo Oratorum omnium antesignanus sed Philosophiæ quoquè Latinæ primus fundator, & coriphæus ab omnibus sæculis agnitus, & agnoscendus semper.

Sed quid in prophanis duntaxat hæremus? In promptu sunt testes quoque hujus rei ex nostris Christianis viri, & sapientissimì & eloquentissimi: atque ut Patres Ecclesiæ: Basilios, Gregorios, Chrysostomos, Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Jsidoros, Hilarios, iisque pares prætermittam, in quibus planè omnibus Eloquentiam pulcherrimam cum Divina Theologiæ fa-

 cultate

cultate admiramur. Felices illi Minutii, Firmiliani Lactantii, Melchiores Cani, Theologi ſimul & Oratores inſignes. Contareni, Hermolai Barbari, Mirandulæ, cœterique bene multi, qui Philoſophiam aliasque honeſtas & nobiles diſciplinas ita feliciter Eloquentiæ naturali quopiam curſu fluente exornarunt, ut nulla plane dictio ſit in eorum Libris, quæ proprietatem & venuſtatem, quæ denique Latinum nomen non mereatur.

Quid quod inſignes illi Jurisperiti Juſtinianus legum collector; Andreas Alciatus, atque alii elegantiſſimi legum Interpretes, ne Trebonium antiquiorem prætercam, ita de legibus diſputant, ut ad illam mirum in modum delectantem ac permoventem ſermonis Latini majeſtatem quam proximè accedere videantur.

Secus ac noſtris temporibus quidam leguleii & de foro Rabulæ facere ſolent, qui vix cum è limine humaniores literas ſalutaverint, mox ad Juris ſcientiam incumbunt, quique contra linguam Latinam, ut eandem proſtituant, conjurare videntur.

Quid de Hiſtoricis? Liviis illis, Salluſtiis, quorum lectio pulcherrimi ſimul ſermonis penu quoddam eſt copioſum.

Quid de Politicis? Quid de Medicis ipſis, Anatomicis cœterisque ſcientiarum & Eloquentiæ nitidæ, maturæ, propriæ atque elegantis amatoribus dicam? Jlli duntaxat amantur; Jllorum ſcripta nocturnâ diurnâque manu revolvuntur, qui ſapientiam, rerumque uberrimam cognitionem cum clara, pulchra & gravi dictione egregiô artificiô conjunxerunt. Jlli verò ne-

gligun-

gliguntur, qui ſcripta ſua turpitudine, macie, & horrore mi ſerrimi ſermonis infecerunt.

Hinc jam itaque Auditores pronùm ac facile unicuique erit judicare: parum aut certè nihil cœteras bonas artes utilitatis adferre poſſe, ſi Eloquentiâ rebus explicandis percommodâ & pernecesſariâ ſint deſtitutæ; eumque non niſi hominem in quavis Gente ac Republica rebus perficiendis ſupra alios idoneum eſſe, qui ſapiente polleat Eloquentià.

At iterum ſæpiusque à quibusdam parum prudentibus Eloquentiæ obtrectatoribus audire cogimur, vanis ac ſpecioſis verborum lenociniis veritatem quandoque obfuſcari ſolere, in iisque præſidium malos homines contra bonos plerumque reperire.

Sed hæc, ut verum fatear, ab iis duntaxat inconſultò obſtrepuntur, qui minimè veram Eloquentiæ naturam intelligunt. Nos à Sapientia ita judicamus Eloquentiam non poſſe ſeparari, ut hæc ſine illa nihil ſit aliud, niſi vanus verborum ſonus, inutilis vocum congeries, vacuæ ventosæque ampullæ. Non illi igitur apud quos ut Cicero inquit multum Eloquentiæ, Sapientiæ parum, non illi inquam Oratores Reipublicæ utiles ſunt, ſed qui juſti, probi, recti, innocentes, ſancti Cives, nihil aliud in medium proferre, nihil ſuadere, nihil conſulere, nihil defendere poſſunt, quod non ſit cum virtute, juſtitia, ac veritate conjunctiſſimum. Tales certè nedum veritatem fucô verborum obtegere non ſtudebunt, nedum nequitiæ nunquam patrocinabuntur, nedum judicia judicumque

mentes

mentes pervertere nequaquam laborabunt, nedum noxia Reipublicæ non consulent, sed quidquid sanctissimum, quidquid Patriæ saluberrimum, quidquid vitæ, innocentiæ, fortunisque aliorum tuendis proficuum, quidquid Genti gloriosum & laudabile carorum Civium animis inspirare, totaque virium contentione commendare non desistent. Tales profecto Oratores non minus virtute quam oratione commendabiles, à STANISLAO, Nostro AUGUSTO Regum Optimo in Provincialium Legatorum consessu magni esse habendos, ad amplissimum Patrum Conscriptorum Senatum ab Eo acccensendos tales Magistratibus omnibus sacris, civilibus ac militaribus admovendos, tales ad ministeria belli, pacisque legendos ab Eo procul dubio sperandum est. Quandoquidem Jlle ipse talium Oratorum perfectissimum atque absolutissimum exemplar & speculum verissimè appellari potest.

Cujus præclarissimum ac tantò splendidius in Majestate relucens exemplum dum Nobilis nostra Juventus imitari induxerit in animum, atque ambabus (ut ajunt,) ulnis arripuerit, dubium nemini erit: quin in generalibus Regni, Provincialibusque comitiis & consiliis, in foro, in sacris Tribunalibus, in omnibus denique Ecclesiæ atque Reipublicæ Officiis, Magistratibus, viros eloquentissimos ac sapientissimos non sine incredibili animorum voluptate conspiciamus, quales viros honor, salus, felicitas publica Patriæ præstolantur.

Eloquentiam enim sapientem cùm aliis ut hactenus di-

dixeram, tùm vel maximè Polonis noſtris Civibus ſub Sapientiſſimo atq; Eloquentiſſimo STANISLAO AUGUSTO neceſſariam eſſe ſtatuo. Quam alteram dictionis meæ partem dum quà potero brevitate perſequendam aggredior, à vetere quopiam bonoquè Sarmata orationis meæ curſum non nihil interrumpi animadverto. In noſtra (graviter inquit ille) Polonia quam olim Martis imperium extulit, propagavit terror, & ad omnium invidiam vel admirationem ſcientia rei militaris promovit, nihil plane Eloquentiæ ornamenta proſunt.

Eam profecto ob rem (dicit ille) effæminata hodie ſpectatur virtus, & quodammodo depreſſa eſt excelſitas animorum apud Polonos, quod planè in morem abierit legere ac loqui plurima, agere nihil dignum viris. In libris habitamus o Poloni; libris nos planè involvimus atq; ingurgitamus, limites interea noſtri diripiuntur, vaſtantur. Ubi nunc miles ille Polonus, qui ex parvis initiis ad tantum incrementum rem Polonam perduxit?

Ut porro Archimedes ſyderum contemplatione, & ſapientia ſuæ Urbi Syracuſanæ non profuit, cum illa hoſtium armis perſtreperet, & quaſi cardinibus revulſa in ſuorum jam prope Civium ſanguine nataret, ita nihil Eloquentia quævis, & Sapientia profuiſſet Audaci & Krivouſto Boleſlais, ſummo illi Romaniſque ac Græcis Imperatoribus pari Zamoyſcio, Tarnoviis, Kamieniecciis, Zołkievio, Zbaraviis, Chodkieviccio, Lubomiriis, Gąſievio, Potocciis, Sapiehis, Czarneccio, Sobieſciis,

Wi-

Wiſniovięcciis, Jabłonovio, cæteriſq; ſi pugnandi vis & robur animi emarcuiſſet.

Latet ſiquidem perculſa metu, atq inter tubarum lituorumq; clangorem nullum ſui præbet uſum ſapiens Eloquentia. Hic ego jam Vos obteſtor Auditores! qui qui adeſtis. Vos ne patiamini tantam labem inſpergi noſtræ Reipublicæ? quaſi verò illa antiquioribûs ſæculis totum imperium ſævo Marti, nihil vero Palladi, nihil Muſis loci relinqueret? quaſi nulla olim ingenia niſi ſolæ vires corporis in noſtra Patria floruiſſent.

At vero quis ignorat eundem ipſum Joannem Zamoyſcium quem illi memorant & militem ſtrenuum, & Oratorem nulli ſecundum, legum ac rerum omnium ſcientiſſimum, ut pote ſupremum Regni Cancellarium, ſupremumq; exercitûs Poloni Imperatorem exititiſſe, adeò quidem ut M. A. Muretus Oratorum, ævi ſui in Gallia & Italia facile Princeps elegantiam venuſtatemq; ſermonis, & amplitudinem ſapientiæ illius ita miraretur, ac ſi quiſpiam ex illis priſci Romani Imperii luminibus Sarmatiæ illuxiſſet.

Prius adhuc illud Poloniæ ſydus Joannes Tarnovius primus Regni Senator totâ Europâ Ruſſicis, Pannonicis, Scythicis, atq, etiam Luſitanicis bellis & continuis victoriis celeberrimus Imperator, idem autem Latinis, Græcis, patriiſque Literis, idem incredibili rerum omnium ſcientiâ, idem ſummâ orandi, animoſque Gentilium in Comitiis quocunq; voluit flectendi gratiâ ornatiſſimus. Quis ignorat Georgium Oſſolinſcium ad

San-

Sanctam sedem ad Cæsares, & plerosq; Europæ Principes insignem Oratorem fuisse eundemq; in castris Polonis legionibus gloriosè imperitasse. Quid numerem utraq; lauru innumerabiles in Patria nostra viros?

Jisdem certe sæculis, eadem tempestate, quâ trophæis, victoriis, nostri annales redundant, non minus sapientissimorum ac Eloquentissimorum Civium copiâ exornantur. Te appello Zbignieve Olesnicki, qui unicus salvasti Patriæ Vladislai Regis ad Grunevaldum vitam, quam ille solo tuo brachio conservatam tibi debuit, quâ deinde ingenii, sapientiæq; gloriâ & sacrum Romæ, & Polonum domi Senatum illustrasti. Te Martine Cromere Patriæ historiæ Princeps, alter Livi Polone, qui per omnium ora volitas, qui illam dictionis Latinæ castitatem, sententiarum pondus cum veritatis historicæ criterio tam admirabili nexu sociasti: ut nihil plane intersit inter tuum & parentum Latinitatis sermonem. Te hic appello alter è Polonis Varro doctissime Laurenti Goslicki, Te Chrystophore Warsewicki. Te Ioannes Łaski; Te Orichovi Roxolane eloquentissime. Te Demetri Solikovi, Bielski, Twardowski, Paule Piasecki, Petre Krycki, Stanislae Łubieński, Stanislae Karnkowski, Vos Kochanowscii, Maximiliane Fredro, Kochovi, Stanislae Lubomirski, Mieszkowski, Starowolski, Chrysostome Załuski, aliiq; Viri summi atq; in literis elegantissimi, qui in vestris immortalibus pro æternitate scriptis, quibûs Patriam illustrastis, Tullios, Senecas & Tacitos nobis loquentes exhibuistis, ut nihil jam sit, quamobrem

C vel

vel Lipſios Germanis, vel Tuanos Gallis, cæteroſque doctos & eloquentiſſimos viros aliis gentibus ac Rebus Publicis invidere poſſimus.

Enimvero cum illa tempora in memoriam revoco, quibus Vos in Polonia veſtra cariſſima literarum Præſides, Promi Condi, & Apollines fuiſtis; triſtiſſima ſane illa fuerunt; neque tamen vos Germanorum irruptiones, Bohemorum intra limites noſtros vaſtationes, clades, non Tartarorum, Moſchorum ac Turcarum ferocia, non Suecorum, non Coſacorum ſuperbi ac inſolentes tumultus, non Ruſſorum turbae; non aliorum atq; aliorum hoſtium contra Patriam noſtram impetus à literis colendis & excolendis avocarunt.

Atque iiſdem temporibûs, quibûs in Polonia cædes, rapinæ, & ſola crudelitatis hoſtium veſtigia ubique ſpectabantur, vos percommodè manſuetioribus Muſis atque Eloquentiæ cultiſſimæ operam dabatis, idque quod ego probare contendo, exemplô veſtrô certiſſimum eſſe docuiſtis Sapientiam ac Eloquentiam belli & pacis temporibûs in Republica libera neceſſariam & ſalutarem eſſe. Hoc ſiquidem unicum rebus plerumque lapſis ac proſtratis in Republica fuerat remedium docta ac opportuna conſilia.

Hoc animos Noſtrorum in felici qaandoque bellorum fortuna obſtupefactos ad Religionem, Pietatem, Virtutem Iuſtitiamque revocabat, cùm viri ſapientiſſimi ac eloquentiſſimi ſuadere, monere, obteſtari, urgere, egregiè ſciverint, atque à neceſſitate ad virtutem Cives ſuos traducere.

Con tra

Contra vero nulla gloriæ & felicitatis cupiditas, nullus libertatis, Patriæ, ne justitiæ quidem amor vigere potest in illis Rebus-Publicis, in quibus Cives muti, & elingues sunt. Jn quibus literæ ac præsertim Eloquentia temporibûs omnibûs Reipublicæ inserviens in contemptu & oblivione versantur.

Quamobrem Mitylenei cum aliquas Gentes maximè vero opibus ac viribus insigniores bellô superassent, nullas eisdem pœnas irrogabant, præterquam quod literarum ac imprimis Eloquentiæ artis tractationem interdicebant: ne scilicet illi majorum virtutes ac victorias commemorantes jugum servitutis respuerent atque excuterent.

Quæ enim sunt quæso alia libertatis retinendæ auxilia? & subsidia? nisi Sapientia & Eloquentia Civium. Stabit felix & fortunata illa Civitas, in qua judicia justa, & consilia salutaria probè adhibentur. His enim duobus quasi fundamentis Rerum-Publicarum felicitatem consistere cum omnibus de Repnblica bene sentientibus asserit doctissimus noster Antistes Gosliccius, consiliô, & justitiâ.

Satis equidem ut opinor his præstantissimorum in Republica nostra Polona virorum exemplis eorum audaciæ ac temeritati responsum est, qui ita fortasse opinantur: ad veram Poloni nominis gloriam nihil referre bonas literas & vel maximè Eloquentiam, Qui ita

(quod gravissimè doleo) in vulgus spargere non erubescunt: ex eo mox tempore rei Polonæ gloriam concidisse, ex quo Poloni amænioribus literis ac humanissimis disciplinis animos adjunxerunt.

Ab illa siquidem librorum consuetudine (inquiunt illi) orta est desidia, desidia timorem, timor contemptum rei militaris, contemptus bellandi inscitiam, hanc vero nostris temporibus gravissimas Patriæ calamitates & ærumnas attulisse.

O! cruda omnisque honestatis ac rationis etiam rectæ vacua pectora! Quasi vero sapiens Eloquentia divinum munus, quo à belluis secernimur ejusmodi virus in se contineat otium & desidiam.

Ecce vobis STANISLAI AUGUSTI REGIS Nostri Sapientissimi, ac Eloquentissimi quotidie in oculos incurrens exemplum. Qui cum sua Sapiente Eloquentiâ nihil oscitantiæ, nihil otio, totum vero consiliis, vigiliis, ac laboribus pro salute ac felicitate suorum populorum tribuit. Qui ita existimat totam vitam suam transmittendam esse aliorum negôtiis, bono, & commodo. Quem (ut olim Themistoclem Miltiadis trophæa) aliorum Regum ac Principum maximorum exempla excitant. Jlle quidem, cui librorum lectio vitæ etiam Regiæ est pars potissima, quoties legit Pompejum lachrymantem in Hispaniæ Urbe Gaditana: quod hac ætate Hispania nondum potitus esset, quâ Magnus Alexander orbem universum in suam ditionem redegit, an totus non exardescit rerum magnarum pro sua Patria geren-

rem-

rendarum ſtudiô? Cum Periclem Oratorem fulminantem, eundemque Ducem in bellis expertiſſimum, Architam Tarentinum doctum ac eloquentem, eundemque ſexies bello Præfectum, Cimonem, Leonidamque doctiſſimos, eloquentiſſimos, & ſimul Duces fortiſſimos ex Hiſtoriis (quas omnes planè cognovit,) fuiſſe obſervat, cum victorias Julii & Commentaria inter ferox & periculoſum bellum Gallicum conſcripta nitidiſſima ac venuſta Latinitate perluſtrat, cum AUGUSTI amorem erga literas ac literatos, cum triumphis illius conjungit; difficile dictu eſt quantopere animum ſuum REGIUM ad res excelſas & arduas Natum: gloriæ cupiditate inflammat? Et dum bella ſilent, quid tandem Jlle prætermittit quo magis pacis artibus ac ornamentis Patriam noſtram cumulet, aliisque gentibus ac Rebus Publicis non minus beatiorem efficiat.

Audimus, ac legimus omnes Jllius Sapientiæ monumenta. Videmus quoque curas perpetuas nobisque ſalutares, quæ Jllius Reginm ac paternum animum verſant. Videmus ut in his fauſtiſſimis Ejus apud nos imperii exordiis, jam magna ex parte leges olim deſpectæ, nunc poſtliminio ſint revocatæ, libertas potentiorum effuſa, ac ſupra modum ſubſiliens ratione, juſtitia, & amore boni publici temperata, æris providentia, ærarii publici adminiſtratio, juſtitiæ, bono ordinis, menſurarum, rerumque, quibûs quotidie egent incolæ certa pretia, exercitus, rerumque militarium cura, diſpoſitio, forma,

mo-

modus, Ejus prudentiſſimis ac divinis conſiliis & imperiis renovantur. Nobis vero commoda, gaudium, admirationemque adferunt. Hi ſunt ſcilicet hi effectus nobiliſſimi ſapientiſſimæ Jllius Eloquentiæ, cui condiſcendæ ab ineunte ætate plurimum temporis feliciſſimè impendit, & cujus futuram perfectionem jam tum facile in illo unusquisque cognoſcebat.

Quos enim ſors naſcendi ad clavum imperii deſtinavit, eorum animis quandam excelſitatem & robur jam ab ipſis, incunabulis adjunxit plerumque & inſeruit. Ita qui ad Rerumpublicarũ gloriam creſcunt, ut de Cyro, Romulo, cœteriſque Principibus magnis admonemur ex hiſtoriis, jam inter pares & coætaneos ſuos vel a prima infantia, & prætexta Regiam exercent induſtriam, jam ſermones omnesque eorum occupationes Regium quiddam oſtendunt. Ita ex ipſis teneris unguiculis fortes Leones cognoſcuntur, magnorum fluminum fontes ipſi magni eſſe ſolent, cum procera arbore vix dum plantatur fructus creſcit; Sic STANISLAUS quoquè Noſter AUGUSTUS Regum Optimus ac Sapientiſſimus priuſquam hoc ampliſſimo in terris honore inſigniretur, quis ignorat quod ſapientiſſimâ Eloquentiâ certum iter ad hoc ſupremũ gloriæ faſtigium ſibi communiverit. Cum nimirum toties Nuntium à Terris ad Rem-Publicam congregatam gereret, unus tum inter omnes (neminem tamen offendo) denſis plane audientium humeris elatus cum ſumma voluptate audiebatur. In Ejus Eloquentia

ſuavi-

ſuavitas Hortenſii, Spiritus Tullii, Demoſthenis vehementia regnaſſe non ſine jucunditate & admiratione Auditorum obſervabantur. Quod ſummum beneficium imprinis quidem DEO ſapientiæ & virtutum Datori; tum verò Patri Jll^mo viro incomparabili, ac Regio ſanguine & ſapientia ſpectatiſſimæ Matri debemus; quæ ſupra ſexûs ſui indolem elevata, non modo fæminas ſed viros plurimos rerum uberrimâ cognitione & rariſſimâ ſcientiâ ſuperavit.

Hoc itaquè exemplum vivum ac ſpectatiſſimum ſapientis Eloquentiæ & hocce clariſſimo die vobis Adoleſcentes propono, qui nobis objicit illam omnium Regni Ordinum ſummam lætitiam, dum Regis ſui concordiſſimè Electi ſermone prope divino, in admirationem raperentur, & ſæpiſſimè deinde proponam imitandum, cum mihi in hac Regia ampliſſimaque Urbe, in hac ſede Sapientiſſimi ac Eloquentiſſimi Regis Noſtri STANISLAI AUGUSTI munus obtigerit tradendæ vobis hujus nobiliſſimæ maximèque neceſſariæ in quavis Republica artis Hoc Duce ad culmen perfectionis in hac Regina oomniū artiū (ſic enim eam Euripides appellat) contendite. Nequè ſperatote ſub Eloquente ac Sapiente Principe vos aliâ viâ Magiſtratus aliquos in Republica conſecuturos, niſi ſapiente Eloquentiâ cum virtute conjuncta. Ut enim ille totam (quæ ſumma eſt) gloriam his artibus imputat, ita nemini Reipublicæ adminiſtrationem credet, niſi viris ſibi ſimillimis, id eſt ſapiente Eloquentia & virtute

tute

tute majorem in modum commendatis. Cui Sapientiſſimo, Optimoquè REGI unà mecum omnes omnia fauſtiſſima precemini. VIVAT Sapientiâ, Eloquentiâ, Virtute & amore omnium beatiſſimus REX NOSTER STANISLAUS AUGUSTUS; Atque ſub illo REGE, ut olim Romæ ſub AUGUSTO floreant literæ & imprimis Eloquentia. Regnent cum illo uti cœperunt Religio, Pietas, Libertas, Virtus, Juſtitia, omniaquè publica ac privata bona ſub BONO REGE, quálem optavimus, & amare debemus, augeantur & confirmentur.